

lassen führen in Thüringen in die von ihr erbaute Zella, und ist selbiger begraben worden vor dem Altar des heil. Kreuzes. Der andere Apt ist gewesen ein Verwandter des Gerungii und auch aus dem Kloster Hirschau erfordert worden. Sein Name war Udalricus.

Trithemius (Annales). Quoniam vero Gerungi Abbatis primi cellae Paulinae memoria nobis se offert, qui cum decem Monachis ex praesenti Monasterio Hirsaugiensi, ut diximus, illuc missus fuerat, libet parumper illius vitam et mores styli officio ad notitiam posteritatis commendare. Qui patria Suevus ex familia Buchaugiensium progenitus, puer ad litteras a parentibus, ut fieri solet, ponitur et bonis Praeceptoribus in civitate Augustana imbuendus commendatur; a quibus non minus in compositione morum ac vitae honestate laudabili sollicitudine instituitur, quam in scientia scripturarum eruditur.

Qui postquam evasit annos pueriles jam satis doctus in litteris mundanis, divino Spiritu illustratus venit Hirsaugiam, procidensque ad pedes Beati Wilhelmi Abbatis, ut susciperetur in Congregationem Monachorum, humiliter petiit et impetravit. Monachus autem factus in omni sanctitate vitam et mores suos instituit et a mandatis Regulae ac Divi Patris nunquam vel in minimo declinavit; regularis namque disciplinae tam studiosus observator fuit et custos, ut paucis inferior, multis autem superior in Monasterio videretur.

Et quia in Musica singulari fuit modulatione peritus, quod sanctum Abbatem non latuit, ideoque cum consilio fratrum Cantorem illum principalem constituit, et imbuendos in arte canendi fratres illi juniores simili providentia commisit. In quo quidem officio satis studiosum et diligentem se omni tempore exhibuit, quoniam et vox artem ornavit et ars commendavit vocem excellentem.

Ad monasterium Cluniacense in Burgundiam a S. P. Wilhelmo bina vice missus est pro discendis statutis et consuetudinibus illius S. Congregationis, ad cujus imitationem et se et suos omnes, quantum fieri potuit, instituere et formare summopere cogitabat. Fuit autem Gerungus iste statura corporis satis pulchra et convenienti dispositus, ut nec proceritate nimia fuerit turgidus nec despicabili brevitatem contemnendus: In moribus autem singulari gravitate maturus extitit et censor contra vitia acerrimus fuit: virtute tamen discretionis non caruit, quippe qui morbos animi curaturus semper mediocritatem adhibuit, ut neque in corrigendo peccantes nimium esset rigidus neque in parcendo plus quam expediret negligens et remissus: quidquid boni sermone docuit, semper suo prior exemplo demonstravit. Pacem habere cum omnibus didicit, quia pacis Auctorem Dominum Iesum super omnia dilexit. In scientia divinarum scripturarum nec profunde doctus,